

*pletorium autem trium psalmorum dictione terminetur, qui psalmi directanei sine antiphonis dicendi sunt, post quos hymnus ejusdem horae, lectio una, versus, Kyrie eleison, benedictio, et missae fiant, i. e. orationes sive supplicationes monachorum transmissae ad Deum. Synaxis graece, latine conventus dicitur, i. e. ubi conveniunt in simul fratres; et non solum de vespera synaxis dicitur, sed etiam de prima, tertia et reliq. Quamvis S. Benedictus de illo conventu dicat, qui in ecclesia colligitur, tamen secundum instituta et collationes Patrum de omni conventu, qui extra oratorium fiebat, synaxis dicebatur. Nam quid sit psalmus sive hymnus atque versus necnon etiam et canticum et lectio, superius jam diximus.*

*Cap. XVIII.*

QUO ORDINE IPSI PSALMI DICENDI SUNT.

*Inprimis semper horis diurnis dicatur versus: »Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina,» et Gloria; inde hymnus uniuscujusque horae et rel. - In hoc vero loco, ubi S. Benedictus dicit: hoc praecipue commonentes: si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter judicaverit, dummodo omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur, et dominico die semper a capite repetantur ad vigiliis; quia nimis iners devotionis suae servitium ostendunt monachi, qui minus psalterium cum canticis consuetudinariis per septimanae circulum psallunt, dum [quando] legamus, sanctos patres nostros uno die strenue implevisse, quod nos tepidi utinam septimana integra, persolvamus<sup>1)</sup> - sunt multi monachi minus intelligentes hunc locum dicentes: Ecce S. Benedictus dedit licentiam, ut, si volumus, possimus canonicum officium facere, quia melius est non regulare, E contrario sunt*

<sup>1)</sup> Anacoluthon (?).